



Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XLVI. lis, qui uel solam noxiam, fraudantes confeßionis sacramentum, celauerint, non posse ad coelum aditum patere; si ità pertinales è uita excesserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab
hoste protege, & hora mortis suscipe.

MIRAC. V. IRG. XLVI.

*Iis, qui vel solam noxiā, fraudantes confessionis sacramen-
tum, celauerint, non posse ad coelum aditum patere; si ita perti-
naces ē uita excederint.*

VIR, cuius erga Virginem mirifica erat obseruantia, inauditum crimen commiserat: quod, ob nimiam turpitudinem sacerdoti fateri, sub pudebat. Post aliquot dies animi conscientia percitus illud aeterno Deo cui omnia aperta sunt flens confessus est; & ita locutus est: Immortalis rex quod ego erubescens peccatum celaui, nunc tibi uni confiteor; fac eius ueniam, per misericordiam tuā impetrem, ut tādem tuo afflato ductus resipiscam, & ad me redeam. Dum haec animo secum ipse deputaret, & iam confessionis caussa sacerdotem adiret. illis se obuiam dedit Satan, sacerdotis imaginem gerens; ac sciscitatus est, quidnam solus meditaretur. Rem ipse, & consilium suum aperuit. Miserum uero sub falsa forma acerbus hostis decipiens, illi edixit, & auctor fuit, ne cuiquam illud peccatum fateretur, & pro certo haberet, sibi eius ueniam datam fuisse. Improbo consilio fraudem inesse nesciens, eius dicto uir incautus, & Satanae technarum ignarus obtemperat. Post cius mortem inter Angelos, & cacodaemones, de illius anima controuertia erat. Ea nitebantur ratione impij, quia immutabili supremi regis sententia sancti-

ds

X tum

tum est, ut qualis moriens quis reperitur, talis, & eo in statu iudicetur. Itaq. animam illius sibi addictā esse dicebant; qui mortis tempore in mortali culpa deprehensus esset; & secum illam abstrahebant. Sed Virgo in ipso prope infernarū aedium limine, cùm nondum illi introiissent, scelestos comprehendit; quib. per tremendum iudicij diem iussit, ut nulla interposita mora, animam corpori suo reponerent; ut crimen illo, quod ipsorum fallacijs, & dolo tectum fuerat, sacerdoti edito, ille seruaretur. Ex hoc & alijs innumerabilib. in manifesto est, nemini, qui uel solius noxae, aut peccati doloso filētio, cōfessionē fraudauerit, ad coelum aditum patere. At si qua pietate quis dignus fuerit, eum semper fuisse uitiae restitutū: ut quod abscondisset, apertè proferret. Videant nunc haeretici, quām impiè, quām sceleratè, quām impudenter faciat; quos non pudet dubitare, de huius potentissimi sacramēti ui, ac summa potestate: qui nodum in scirpto quaere non uerentur.

MIRAC. VIRG. XLVII.

Sibi addicti clerici adolescentis cadauer, misericordiae parentis in sacro loco humandum iubet; cum prius in profano sepulchro sepultum esset.

TAmetsi clericus ea dignitate, in qua cōstitutus erat, indignam uitam agebat; & pessimè audiēbat; tamen Virginī mirificum honorē semper tribuebat, eiusq. nomen sanctissimè uerebatur, eamdem saepè plurima salute piè impertiens. Is

ab